

183  
*viget inter Criticos. Marcellus namque Donatus ad Svet. in  
Vesp. c. 3. nihil turpitudinis in se continere epitheton illud asse-  
rit, & ex variis Ciceronis locis, hacque ex Grutero Inscriptio-  
ne probat p. CCCXI. 6.*

D . M

TEIAE EUPHROSINES

RVFFINAE V.V

DELICATAE

*quasi nefas sit impudicitia Virginem Vestalem arguere. Contra  
Andreas Dacierius in eruditissimis notis ad Sex. Pompejum Fe-  
stum adeo turpiter verbum hoc accipit, ut haec scribat: Delicati  
homines sunt, qui muliebria patiuntur. Et quidem locus alius  
Svetonii in Tito c. 7. quem Donatus expendit, quosdam e  
gratissimis delicatorum, quamquam tam artifices saltationis,  
ut mox scenam tenuerint, non modo fovere prolixius, sed  
spectare in publico omni cœtu superfedet, si superioribus clau-  
sulis objecta eidem Tito intemperantia respondeat, DELICATOS  
istos esse ex grege spadonum & exoletorum, per quos suspecta  
fuit ejus libido, congruenter intelligitur, ut & Torrentius ibi-  
dem accepit. Ex aliis etiam Ciceronis autoritatibus ultra eas,  
quas pro sua sententia Donatus adducit, ambigua saltem reddi-  
tur hujus verbi obscenitas, nam epist. 16. lib. I. ad Atticum  
juventutem suis partibus adversantem libidinosam & delicatam  
vocat, quasi unum epitheton aliud explicet; eodemque pacto lib.  
I. de Nat. Deor. delicatas cum obscenis voluptatibus jungit.*

*Sequentes etiam nostra, prava omnis suspicionis expertes sunt.*

D & M

PARVVLVS HIC SITVS EST VIXIT TRIS VSQVE PER ANNOS

INQVE NOVEM MENSES INVALIDOSQVE DIES

NOMINE GRISOLOGVS AMABILIS VTQVE ERAT INFANS

FLEBILIS ET MISERE RAPTVS AD INFERIAS

SATVRNINVS . FILIO . VELIA . LALEMA

DELECATO SVO POSVIT

*Ex Schedis Barberinis.*

CAE-